

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
DESCENSU CHRISTI
AD INFEROS,

Opposita
NOVATORIS CUJUSD. DISSERTATIONI de Eodem,
ET

Ex Decreto Venerandæ Facultatis Theologicæ,
in Illustr. & celeb. HASSO-GIESSENA UNIVERSITATE
Sub Moderamine
MAGNIFICI DN. RECTORIS

VIRI
MAX. REVERENDI AMPLISS. & EXCELLENTISSIMI,
DN. PETRI HABERKORNII,
Doctōris & Professoris Theologi longè celeberrimi,
dequē Ecclesiâ Christi meritissimi, Pastoris item &
Superintendentis gravissimi,

Patroni, Fautoris ac Præceptoris sui, multis nominibus æternum de venerandi.

PRO LICENTIA .

Supremos in SS. Theologiâ Honores, ac Privilegia Doctoralia
legitimè assumendi,

Solemnè Ampliss. DNN. PROFESSOR. Exumini exposita

Ad diem Septembr.

M. JACOBO RICHARDO,
Memmingensi h. t. Eccles. Tonnenſis Pastore
ac Superintendente.

A. O. R. M. DC. LXXI.

~~XVII.~~ 73.

G I E S S E,

Typis, JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typog. Ord.

†

Coll. diss. A
174, 8

84. A. 174 (8)

V I R O

Magnifico, Max. Reverendo, Generoso ac Perquam Strenuo,
DN. JOHANNI DIETERICO à Schönbergk/
Hæreditario in Mittelfrohna / & Golttscha / Sereniss. Principi Saxo-
Altenburgensi à Consiliis, Illust. Consistorii Præsidi, Canonico
item Naumburgensi, undiquaq; eminentissimo.

DOMINO MEQ; GRATIOSO.

VT ET

V I R I S

Maximè Reverendis, Amplissimis, Excellentiss. Præclarissimisq;
Dn. JOH. CHRISTFRIEDO SAGITTARIO,
Doctori Theologo celeberr. Concionatori Aulico primar.
Superint. General. Saxo-Altenb. meritissimo, nec non Consistorii
Sacri Assessor gravissimo.

Dn. JER. BALTHASARO Ludwig /
Theologo Saxo-Gothano celebratissimo, Concionatori
Aulico primar. & Consistorii supremi Assessori conscientiosissimo.

Dn. JOH. ADAMO OSIANDRO, SS. Th. D.
Acutissimo, Ejusdemq; in Inclyta Tybingensi Acad. Profes-
sori famigeratissimo, ut & Ecclesiæ Pastori vigilantissimo.

Dn. M. ABRAHAMO TRILLERO,
Theologo Altenburgensi clarissimo, Ecclesiæ Primar. &
Consistorii Assessor gravissimo.

Dn. M. BARTHOLOMÆO RICHARDO,
Theologo Eximio, Ecclesiæ Patriæ Pastori ac Superinten-
denti fidelissimo.


Dn. Patronis Promotoribus ac Fautoribus meis,
quâ par est, animi reverentiâ, colendis.

Sächs.
Landes-
Bibl.

S. P. P.

Integer jam prateriit annus. Ill. CONSISTORII Altenburg. Praeses
 Inclyte, ac Assessores gravissimi, ex quo, legitime Vobis, ab Illustriss.
 Comite ac Domino, DN. CHRISTIANO LVDOVICO, Comite in
 VValdek & Pymont, Libero BARONE in TONNA &c. &c.
 Domino meo clementissimo, presentatus, beatior surrexi. Non gume-
 set recensere ista benevolentiae vestrae specimina, quae propterea religio-
 so silentio venerari malo, quam Verbis depraedicare imparibus; mei in-
 terim officii est, eadem semper memoriâ tenere, ore laudare, & obsequiis
 demereri; interim ne gratitudo solum objective sit in linguâ, subjectivè
 autem nullibi, hanc Exercitationem meam Inaugural, in aeternum de-
 bitae devotionis monumentum, ad limina vestra fulgentissima, cum vo-
 to omnigenae ac perennantis à DNO. IESV felicitatis, appendere volui:
 idque animo eo confidentiori, quo magis compertum habeo, Vobis Nova-
 torum placita, tantopere displicere, ut neminem ad officii sacri admini-
 strationem admittatis, nisi qui iuramento Religionis interposito, iurave-
 rit, se ex animo illa omnia detestari & constanter detestaturum esse. Nec
 minus prolixum esset, Max. Rev. DN. LVDOVICE, sollicitis hinc si com-
 putare vellem articulis, stimulos istos, quos studiis meis antè octennium
 ERFVRTI, humanitate tuâ, colloquio, & ipsis quoque Adversariis ce-
 lebratâ eruditione tuâ, addidisti; & licet interea temporis, Deo sic di-
 rigente, ad summam dignitatem Ecclesiasticam, virtutibus tuis debitam,
 evectus sis; illibatè tamen pristinum affectum mihi servasti; & nuper
 non sinè maximâ, eâque mutuâ animorum nostrorum delectatione, eun-
 dem Gothæ redintegrasti: vive incolumis sub Principe tuo incompa-
 raibili, Ecclesiae Saxo-Gothanae immortale columen ac decus. Verba

quoque mihi deficerent celeberrime DN. D. OSIANDER, si tua in me eruditionis merita, quibus per primum vite meae Academica quinquennium, tandem animi mei massam Tybinga formasti, de predicare conarer. Deprompsi enim ex divite eruditionis tuae penu, condimenta sacra varia, in Compend. Theol. B. Hafsenrefferi; in B. Hulfemanni Breviarium; in B. Brochmandi Systema; in Genesin; in Decalogum; in Visiones Propheticas, ac Historias Sacras; in primarias denique fidei controversias, quae Orthodoxis cum Iesuitis, Arminianis, ac Calixtinis speciatim intercedunt. Condimenta haec tua, (imò & Aliorum quoque, quos ceu Praeceptores meos, ad vita usque dies veneror) sua non carere efficaciam, dum ante septennium, me reducem ad vos, ex Academiis aliis, valedicturum meam opinione Studio Academico, praeviam Facultatis Vestrae censuram, numero SS. Theologiae Candidatorum, cum gratulatione multa, literis Vrae Fac. Systaticis obfirmatam, adiunxisti. Hinc gratia mea vocales semper erunt, & beneficia haec accepta, ubique canent. Tu interim, Vir Amplissime (quod votorum meorum Summa est) cum Venerandis Dnm. Collegis tuis, porro quam diutissime luceas in Serenissimo Wuerttembergensium caelo, ceu stellae manu Domini praefulgida! Te Tandem Pl. Rev. Domine parens compello, qui me in hanc spem genuisti, genitum benigne suscepisti, nec ullis hucusque curis parcendum duxisti, ut olim emensis studiorum spatiis, Temetipsum senio jam confectum, in Filio repubescentem conspicari letus possis, atque utinam! Suscipe quaso eo animo Disputationem hanc Ultimam ac summam, quo suscepisti atque viginti, quas, officii mei ratione ita flagitante, tum Respondendo, tum Praesidendo institui. Vale Parens Sancte venerande, cum Dnm. Collegis tuis dilectissimis, quos juxta Te porro Ecclesiae Patriae bene praesse, & ad immortalitatem vivere jubeo. E. Musaeo Graefin Tonnae
 Thuring. Kal. Septembr. 1671.



IN NOMINE JESU!

§. I



Um aggredior examinare ea, quæ Non - nemo, ex *Novatorum* scholâ, de *Desc. Chr. ad Infer.* commentatus est, ipsa *Autoris* verba prout jacent produco. *Prima* (inquit) *sententia*, quæ *Christum ad locum damnator. descendisse* memorat, nititur difficili dicto *1. Pet. 3. v. 18. Flavius in cl. Scr. per carnem in hoc dicto* intelligit corpus morti traditum, & sepultum. Per Spiritum autem animam Christi, quæ dicitur vivificata, h. e. liberata à morte, id est, miseris hujus vitæ, à passione jam consummatâ, ab ingenti mole poenarum. Existimat igitur, Christum dum in cruce obierit, revera & realiter ad inferos, hoc est, ad gehennæ specum subterraneum, quem nonnulli in ipso terra centro ponunt, descendisse; & ad damnatos Spiritus, qui in illò carceris squalore, catenis tenebrar. constricti, decretorium diem, magnâ formidine expectant, præsertim ad incredulas animas *Antediluvianor. operosam concionem habuisse, de redemptione per se jam præstitâ. Et ne quis existimet, concionem hanc sinò usu fuisse, cum in inferno anima converti non potuerint, statuit: Concionem hanc apud Inferos habitam, realem fuisse, quâ se mundi Salvator à Nocho justitia illò præcone sapius prædi-*

Etus, ostenderit, ad augendos ipsorum terrores, ad novam infligendam pœnam; vel ad pœnarum suarum augmentum, ut majori jam pœnitudine, licet nimis serâ torquerentur, prout etiam in extremo die, idem ille, cum vexillo crucis, aliisque passionis insignibus, se se impiis & damnandis ostendet, ut videant, quem pupugerint; ut videant se justè damnatum iri, qui nobile hoc λόγον nunc spernunt. S. Chrysostomus talem Domini concionem ad damnatos refert: Ecce ego filius Dei, qui propter vos, & vestram salutem homo factus sum, passus, crucifixus, mortuus; ecce pretium mei sanguinis, quod dedi pro vobis, ubi est servitus vestra, quam mihi debuistis? & tunc plangent omnestrabus terra. Existimant verò hunc descensum Christi non fuisse gloriosum, nec ad statum exaltationis pertinere, sed malè in infernis habuisse, & vinculis intensissimorum cruciatuum fuisse constrictum. Igitur quotquot ad carceres damnatorum in ipsam gehennam ignis, descendisse Christum autumant, quia ad exinanitionem Christi, id referunt, doloribus inferni ipsum verè subjiciunt. Verùm realis hic Chr. ad inferos descensus, ex dictò illò Petri liquido non constat; cum locus sit obscurissimus, & tot difficultatibus obnoxius, ut fidei articulus ex eo solo, demonstrari, vix possit. Asperum quoque est, voce Spiritus intelligere animam vivificatam, semper enim illa vivit, nunquam vivificabitur. Præterea finis passionis Christi est salus hominum, jam si localiter ad gehennam descenderit, vel solam concionem habuit, & sic non prodest; vel dolores inferni subiit, quod impium. Quid si hic sit dicti sensus: Christus carne mortificatus est, h. e. secundum carnem, & h. n. mortuus; sed in Spiritu, hoc est, per virtutem suæ divinitatis vivificatus, in eodem Spiritu, hoc est, in eadem sua divinitate profectus est ad homines Antediluvianos. Συγκαταβασις est, quando Christus de loco in locum proficisci, descendere, visitare dicitur. Profectus igitur est, h. e. Deitate suâ se stitit præsentem, & divinam suam virtutem exeruit, quando predicavit per os Noë Spiritibus, qui in carcere detinentur, ita in hoc dicto, ne gry quidem de Christi ad inferos descensu.

§. II. No-

§. II. Notamus circa hæc. 1. rectè quidem *Flaccium* per Carnem intellexisse corpus Christi morti traditum & sepultum; minus autem rectè per Spiritum, animam Christi à corpore Separatam; idque ex adductâ ab Autore ratione, (quæ tamen non est ad mentem Flacii, Termino *vivificatus* improprie sumentis,) quam B. Gerhardus ad h. l. ita expolitâ proponit: Christus (inquiens) aut vivificat⁹ dicitur animâ activè, aut passivè. Non prius, cum enim anima sit immortalis, & semper vivens seipsam vivificare non opus habuit; sed nec respectu corporis dici potest anima vivificasse, quia anima non ex proprietate suâ naturali, sed communicata λόγος potentiâ, corpus vivificavit. Non posterius, quia anima Christi non erat mortua, ergò nec vivificationis indiga. Ut sensus sit: Christus mortificatus carne, h. e. secundum humanitatem: vivificatus Spiritu, h. e. animâ & corpore divinâ suâ virtute reunitis, juxta illud 2. Cor. 13. v. 4. Etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute. In hac sua *virtute* triumphans, prædicavit in carcere Spiritibus. 2. nec displicent, quæ *Flaccius* & *Hieronimus* de prædicatione ipsâ in carcere infernali, (qui & Apoc. 20. v. 7. φυλακή appellatur) habitâ, piè meditati sunt. Absit enim, ut cum *Felger* hauero, homine fanatico, in *Aurora* (sic dicta) Sap. c. 13. p. 61. asseramus: *Christum post resurrectionem Evangelium diabolis & damnatis in inferno prædicasse*. Hunc enim finem Descensus, nullibi scriptura monstrat; ordo quoque articulorû in Symbolo Apostolico contentorû non admittit ut statuamus, Christum post ἀναστασις demùm descendisse; verius post factam ζωοποίησιν, in magno illò terræ motu, qui summo mane evenit, ubi se Diabolis & omnibus damnatis vivum ostendit, & mox triumpho hoc in inferno peracto, cum oriente Sole, ipse sol justitiæ toti orbi illuxit; piè ita sentientibus D. Huttero & Gerharo. Repugnat denique ipsa *Evangelii natura*, quæ, eo ipso, quia in formali suo, non nisi lætum infert nuncium, de remissione peccatorum, cujus Diaboli & Dammati capaces non sunt, ejusmodi evangelicam Christi in inferno concionem, non ad-

mit-

mittit. Nec obstat verbum κηρύσσειν, hoc enim non tantum usurpatur de Evangelii prædicatione, sed & proclamationibus aliis, quæ palàm & cum fiducia fiunt. Marc. 1. v. 45. imò & de præconio comminationum. Luc. 11. 32. Igitur prædicationis Christi, eaque non tam verbalis, quam realis (qualis sc. illa Hebr. 12. v. 24.) in inferno, rectè creditur, non ad consolationem, sed ad confusionem & ignominiam damnatorum fuisse directà, qualis erat illa ad epulonem, Luc. 16. Non malè huc referunt quidam τὸ ἕδειγματίσιν ἐν παρρησίᾳ, Col. 2. v. 15, quod non significet, traducere ab inferis ad cælum; Sed exemplum ignominiae statuere, ita L. Valla, Chrysoft. Theodoret. Oecumenius verunt, exemplavit, quo sensu παραδειγματίζειν etiam de Josepho occurrit Matth. 1. v. 19. Equidem qui per φυλακὴν intellectum volunt, πᾶς quoddam cœleste, in quo Spiritus, sive animæ defunctorum, qui in illo ipso diluvio secundum carnem quidem perierunt, sed ita ut acta pœnitentia, (s̄ verum est) Spiritu viverent Deo, asservatæ ac conservatæ fuerint; prædicationem animabus istis factam, non nisi evangelicam fuisse necessariò affirmant, conferentes hunc in finem, cum hoc cap. caput IV. 1. ep. Petr. vers. 6. Verum, quod pace illor. dixerim; nec vox φυλακῆς in Scripturâ ad minimum, uspiam facile in bonam acceptam partem reperietur; cum primis in N. T. ubi semper accipitur in malam partem videantur loca Matth. 5. v. 25. c. 25. v. 36. 39. 43. 44. Actor. 5. v. 19. c. 12. v. 4. c. 16. v. 23. unde & Scholia græca simpliciter exponunt ἐν τῷ ἄδῃ; quemadmod. & Syrus qui habet in inferno; ut taceam, convenire hanc sententiam, cum illâ Patrum quorund. de loco animarum separato, à perfectâ Dei visione, in quo corporum suorum resurrectionem expectarint: de occulto item animarum receptaculo, in quo ceu atrio asservatæ, post resurrectionem demùm in ipsam Domum DEI intromissæ fuerint; unde Limbi fabula enata est. Nec Scriptura discrimen aliquod agnoscit, quod Non-nemo urget, inter ἀπίστους & ἀπειθεῖντας, quasi

quasi isti de quibus Petrus hic loquitur, qui vixerunt tempore Noæ, fuerint non ἀπίστοι, sed ἀπειθήσωτες saltim, qui proinde diluvio ingruente tandem crediderint, & in fide obierint; quin potius per ἀπειθοῦς τὰς incredulos & impœnitentes perpetuò intelligit. videantur loca, Johan. 3. v. 36. Actor. 14. v. 2. & c. 17. v. 5. Rom. 11. v. 30. 31. Eph. 2. vers. 2. Hebr. 3. v. 18. Hinc etiam Arabs & Æthiops πνδύματα ἀπειθήσωτα, vertunt: rebelles & refractarios Spiritus. Verbo, per πνδύματα intelliguntur animæ damnatorum corporibus exuta, quo nomine hæc vox, nempe πνεῦμα, sæpè in N. T. occurrit, ceu videre est, ex Matth 27. v 50. Luc. 23 v. 46. Hebr. 12. v. 23. & quidem in specie eorum (non tamen exclusis aliis damnatis) qui tempore Noæ in finali ἀπίστια decesserant; hos enim Petrus, tanquam enormia impœnitentiæ & iudicii divini exempla proponit, quippè in quibus, ex intentione Apostoli, & DEI benignitas, & Noæ constantia, & impiorum desolatio, inter alia eminent. Nec denique huic sententiæ patrocinator locus adductus; Dixerat Petrus versiculo præced. 5. Christum paratum esse ad iudicandum vivos, & mortuos: addit igitur: *Nam idcirco mortuis quoque prædicatum est Evangelium*, hoc est, iis, qui jam mortui sunt, tunc autem cùm illis prædicaretur Evangelium, vivebant, ut iudicarentur quidem seu ob peccata punirentur, castigarentur, secundum homines carne, (ita enim verbum κενεῖσθαι etiam usurpatur I. Cor. II v. 31. 32.) viverent autem secundum Deum, Spiritu. Quoniã igitur & mortuis Evangelium, & quidem hoc fine prædicatum est, meritò Christus etiam mortuos iudicabit, secundum hoc suum Evangelium, qui sensus h. l. simplicissimus est. Adde quod hæc prædicatio, à prædicatione de quâ c. 3. sermo est, differat tum ratione prædicantis, tum objecti, tum finis, rat. prædicantis, qui cap. 3. Christus ipse est ζωποιηθεὶς; c. 4. nullum certum individuum nominatur, quam Cl. Alex. & alii ex Patribus hanc prædicationem Evangelii, Apostolorum ministerio factam esse existimant;

B

ratio-

ratione objecti, quod c. III. sunt animæ damnatæ, olim, tempore scilicet Noæ imperuasibiles, c. 4. gentiles incon-
 versi; ratione tandem finis, qui cap. 3. à parte damnatorum
 est, ut à Christo Triumphatore redarguerentur; c. 4. verò
 continetur generalis Evangelii finis, à parte sc. infidelium,
 qui est eorum regeneratio ac salvatio, ut carne peccati abo-
 lita, seu mortificatâ, vitâ spirituali Deo vivere inciperent.

§. III. *Flacius* præterea in eo, cum *Hieronymo* gra-
 viter erravit, quod *Descensum Christi ad inferos* non ad
 statum exaltationis, sed exinanitionis referendum esse pu-
 târit, in quo vinculis intensissimorum cruciatuum, Christus
 fuerit constrictus; quæ sententia quoque probatur *Æpino*,
Busæo, *Cusano*, *Zanchio* & aliis. Refutari verò facile po-
 test, modò attendatur terminus passionis Christi plenariè
 expiatoriæ, qui fuit mors, ultimum Christi in arâ crucis
 verbum, consummatum est, in secuta. Joh 19. vers. 30.
 Jam autem in ordine articulorum descensus morti ac sepul-
 turæ disertè postponitur, undè non ad statum amplius Exi-
 nanitionis, sed Exaltationis, ejus puta initium, referendum
 esse apparet. Benè noster *Hülsemann. Brev. Ext. p. 88.*
Descendens (inquit) non est dolorosus, sed gloriosus & Trium-
phatorius, potentia & majestatis plenissimus &c. Nos insu-
 per ex allegato loco *Petrino*, validè sic inferimus: quicum-
 que mortificatus carne, vivificatus Spiritu, prædicavit Spi-
 ritibus incarceratis, illius descensus fuit triumphatorius, &
 consequenter ad officium regium, statumque exaltationis
 pertinet; atqui Christus. E. Ratio majoris est, quia re-
 gium est triumphare de hostibus debellatis, quia Victrix
 potentia exerit sese per illam realem *κρίσην*, quam perfecit
 post *ζωοποίησιν*, quia autem hæc est actus exaltationis, uti-
 que & Descensus vivificati talis erit. Erroneum denique
 est, quod dicitur: Christum ad inferos, h. e. ad *gehenna*
spesum subterraneum, qui sit in centro terra descendisse. Pla-
 cet hæc opinio Pontificiis quoque in communi, dum infer-
 ni ap-

ni appellatione, loca subterranea profunda, in terræ centro constituta intelligunt: referentes huc 1. Locum damnatorum. 2. Limbum infantum non baptizatorum. 3. Purgatorium. 4. Limbum Patrum in V. T. Hinc infernum in quatuor classes distinctum nugantur. *Bellarmini* argumenta ex Scriptura desumpta, passim à Nostris soluta legi possunt. Nobis sufficiat hic notasse, opinionem hanc pugnare, cum istis locis S. Scripturæ, quæ cælum & terram in novissimo die peritura testantur, *Apoc. 20 v. 11.* quod si jam infernus esset locus, in centro terræ constitutus, infernus aliquando cum terrâ periret, quod falsum. Dissentire aliàs circa hoc punctum Nostrates quoque, negari non potest. *B. Gravverus*, per Infernum intelligit statum omnium abjectissimum, infelicissimum, & in explicabilibus refertum cruciatibus; fortè quia vix produci poterit locus Scripturæ, in quo de inferno, tanquam loco supplicii nunc existente agatur, etsi aliquando extituro. *B. Lutherus* cum *Autoribus For. Conc.* videtur propendere in illam sententiam quæ per infernum putat denotari locum aliquem damnatorum ubicunque etiam sit, in quo Diaboli & omnes damnati iram Dei sentiant, & infinitis crucientur malis. Hunc tamen locum, non de loco quòdam physico & corporali, sed spirituali quodam ac incorporeo systemate, seu $\pi\bar{s}$ illocali, ubi ubi etiam sit, intelligendum esse, *B. Huttenus* existimat. *G. Calixtus in tractatu de novissim. iudicio*, pag. 150. propendet in hanc sententiam: Infernum in novissima die demùm extitutum, & quidem ignem per quem & in quem terra & cœli solventur, cujus partibus crassioribus & impurioribus damnatos (ait) involutum iri, ipsum infernum constitutum esse. Hanc ipsam tamen opinionem (quam etiam repetit in *Tr. de Bono perfectè summo*) non ut certam sententiam, sed ut conjecturam ventilat. Nos curiosi equidem esse nolumus, in iis, quæ Magister optimus de loco aut $\pi\bar{s}$ infernali definito, nos fortassis nescire voluit: interim hoc dicimus intrepidè,

B 2

quod

quod si Infernus non sit aliquod π̄ certum, in quo Diaboli reprobique exquisitissimos dolores patiuntur; non posse sensum literalem in art. de Descensu ad Inf. retineri. Jam verò τὸ ἑστὸν in art. fidei arctè tenendum esse, decantatus Theologorum Canon inculcat.

§. IV. Accessum facimus ad Epicrisin auctoris, in quâ notamus 1. *haud levem contradictionem*. Dicit: Hanc sententiam niti difficili Scripturæ dicto 1. Petr. 3 v. 18. mox negat ex hoc loco solo, descensum Christi ad inferos probari posse, cùm sit obscurissimus; in fine autem ait: ne gry quidem haberi in h. l. de descensu laudato. Stante enim hoc ultimò, non modò difficile erit ex h. l. probare istum descensum, sed impossibile plaudè; nec ex aliis Scripturæ locis eidem lux accendi poterit, quemadmodum de istis locis V. T. sentiunt Novatores, qui agunt de Myster. SS. Trinitatis ex istis solis, nisi instituat collatio cum dictis N. T. Mysterium illud probari non posse. Et quæso, quænam sunt illa dicta, cum quibus locus præsens collatus demùm probare possit Descensum Christi ad Inferos? Sanè, Auctor (ut mox patebit) nulla admittit, pernegans simpliciter realem Christi ad inferos descensum.

2. *malam collectionem*. Si localiter (inquit) ad gehennam descendit Christus, vel solam concionem habuit, & sic non prodest; vel dolores inferni subiit, quod impium. Neutrum sequitur, non primum, quod vel ex solo, à se adducto Hieronymo discere potuisset; etsi enim non profuit illa concio damnatis, quibus procul dubio intensior indè dolorum cruciatus accrevit; tamen suo fine ac fructu non caruit, aut etiannam caret, tum respectu Christi, qui divinâ suâ virtute, victorē inferni se ostentare, & concione reali, incredulos damnatos, majesticâ suâ præsentia confundere voluit, tum respectu incredulorum, quibus adhuc tempus benè agendi concessum est, tempus nimirum pœnitentiæ & longanimitatis divinæ, ut illorum exemplo discant credere antequam confundantur. Non secundum, falsum enim est,

Chri-

Christum pœnas sustinuisse infernales in ipso illo damnato-
rum πᾶ, ad quod descendit, quippè in quo non fuit more
militantis, sed triumphantis. Rectè Bonaventura, Chri-
stus (ait) in loco pœnæ fuit, sed sine pœnâ; laudatus propte-
rea Bellarmino l. 4. de Chr. c. 16. opinionem istam in Tho-
mâ suo improbanti: Cæterum distingvimus cum Auto-
ribus. F. C. inter Descensus veritatem, & ejus modum, qui
num localiter, num illocaliter, contigerit, definire tutò non
audemus, etsi utrumque probabiliter disputari possit. 3.
dubiam sententia sua positionem. Quid si hic (inquit) dicti
sit sensus! Christus carne mortificatus est, h. e. secundum carnem
& h. n. mortuus; sed in Spiritu, h. e. per virtutem divinitatis
suae vivificatus, in eodem Spiritu, h. e. eadem Divinitate suâ.
profectus est ad homines antediluvianos. Συγκατοβᾶσις est,
quando Christus de loco in locum descendere, proficisci, visitare
dicitur; profectus igitur est h. e. Deitate suâ se stitit presentem,
& divinam suam virtutem exeruit, quando predicavit per os
Noë, spiritibus qui in carcere detinentur. Amplectuntur
hanc interpretationem è Calvinianis Beza, Piscator, Pola-
nus; ex Pontificiis, Gagneus & Andradius; nec desunt ex
Nostris, quibus eadem arridet, ut constat.

§. V. Qua propter salvâ illorum autoritate, huic exposi-
tioni, non tam oppono, quàm consideranda saltim propono.
Epicritico nostro, ea, quæ Dn D. Job. Meisnerus, Sub præsi-
dio quondam Magni Hülsemanni, ad eandem super h. l. an-
notavit. Etsi (inquit) hæc sententia tolerari utcumq; possit, ne-
scio tamen, an hæc Apostoli mens fuerit; nec enim sufficit in
expositione Scripturarum dicere, sententiam aliquam veram
esse, nisi eandem sensui ac menti Autoris conformem fuisse suf-
ficienter ostendatur. Adde quod præter consuetudinem A-
postolus affectet τὸ λόγον ἰσχυρὰ πομπέων, si per spiritus intellige-
ret homines vivos, in corpore, tanquam carcere aliquo commo-
rantes. Et post pauca interjecta: Hanc sententiam (ait)
nec in reliquis dubio carere omni, ut quod 1. λόγῳ ἀσάρκῳ ista tri-
buat. 2. prædicationem à Christo, antè mortem & vivificatio-
nem.

rem susceptam dicat. Et denique 3. illam predicationem, quæ per Prophetas in V. T. homines docuit, per secundam Trinitatis Personam factam asserat. Nam quod ad 1. Apostolus ubique fermè loquitur de Christo incarnato, h. e. tota ejus Personâ, cui mors ac vivificatio competit. Deinde post mortificationem ac resurrectionem ex morte, quod verba præteriti temporis Ἰνα τῷ θείῳ & ζωοποιεῖς ostendunt, Neq; v. 2. divellenda est profectio Et prædicatio à Spiritibus, sed iisdem arctissimè jungenda, ut ex particulis Καὶ Et τοῖς potest monstrari. Denique prædicatio per Prophetas non Secunda sed Tertia Deitatis Persona, per peculiarem appropriationem, quam οἰκειώσις greci Patres dicunt, in Scripturis tribuitur. 2. Petr. 1. v. 21. undè facilis sententia Apostoli emergit, qui v. 18. Dixerat: Christum passum esse pro peccatis, mortuum esse carne, vivere autem nunc Spiritu, seu, per divinam virtutem ac potentiam resuscitatum, atque eâ ipsâ profectum v. 19. ad animas ἀνεθεῖς v. 20. quæ predicationi Noachi olim fidem habere pertinaciter noluerunt, ideoque conclusa sunt, in carcere infernali. Istis ergò animabus ἐκὼς, non verbis, sed illustri quâdam patefactione Et manifestatione gloriosa victoria, sese exhibitum declaravit; ut exponunt quoque Ambrosius, Et Athanasius, quod quid simplicius aut verius dici unquam potest? Quod si vero autoritate nobis pugnandum esset, plures ex antiquis Patribus hanc sententiam sequuntur. Unde Et Beza antiquissimam eam esse fatetur, Et maximorum virorum autoritate nititur. Bellarminus autem lib. 4. de Chr. an c. 13. Cl. Alexandrinum, Athanasium, Epiphanium, Cyrillum, Hilarium, Ambrosium, Ruffinum, Justinum Et Irenæum locis illorum allegatis, ita sentire docet: nec desunt ex nostris, qui eandem amplectuntur, Centuriatores Magdeburgenses, Affelmannus, Eckardus, Cramerus, Waltherus, Et alii plures. Ipse quoque Dn. D. Siricius hujus quondam Acad. Professor meritissimus in Collegio Anti Calix. ex hoc loeo Petrino, contra Drejerum probat, Christum animâ & corpore simul ad infernum descendisse. Ex hisce igitur apparet: Difficultatem equi-

equi-

equidem & obscuritatem hujus loci negari non posse, interim non omninò videri esse inextricabilem. Hæc itaque de primâ sententiâ, ejusque epicrisi sufficient; pergimus ad secundam, ejusque epicrisin, utramque Autor his proponit verbis.

§. VI. *Secunda (ait) sententia est Christum cruciatus infernales subjisse, ita quidem, ut in cruce Deum sibi graviter iratum habuerit, propter nos & nostra peccata; & in metu salutis suæ fuisse, atque hinc similem animæ angorem perpeßum, qualem animæ damnatorum in inferno jam sustinent. quin & verba desperabundi protulisse. Ita Brentius super Actor. 2. expressè Christum inferni dolores passum asserit. Verum hæc vel maximè absurda sunt, & impia, fuit enim Christus in acerrimis istis suppliciis, filius Dei dilectus, in quo anima ejus complacuit; extra statum gratiæ nunquam positus; unde etiam Scriptura salutem nostram, non ab inferorum hoc descensu, sed ab ejus exinanitione ad mortem, usq; ad mortem crucis suspendit; unde & mortis Dominica exaltatio vel resurrectio immediatè subnectitur Philip. 1. vers. 9. & sanè si dolores tartari subiisset Dominus, cur non ullibi ejus indicium extat? Christus ipse articulos suæ passionis, subindè apud discipulos, sollicitis computat articulis, vel nominat flagella, sputa, scommata, crucem, mortem, quæ omnia ludus & jocus sunt, si cum inferni doloribus compares; cur igitur hos tacet, si horrendos illos cruciatus, propter nos redimendos Dominus pertulit; nimirum, quod nullius ejus rei typus, vel umbra, vel figura, nullum memoriale extet! Mortis Dominica illustre nemo synon est S. Eucharistia, sed multò potius tolerati inferni monumentum extaret! Ecclesia quoque, uti annuâ memoriâ, nativitatem, passionem, mortem, resurrectionem Christi celebrat: ita valdè fuerit ingrata, si toleratos à piissimo Redemptore inferni cruciatus, non memoret. Sicut Christus in sepulchro, in cruce, inter manus carnificum pingitur, ita etiam in igne infernali ardens depingi poterat, ac debebat, sed talem picturam, pii oculi, ut puto, non ferrent. Antiqui etiam Doctores descensum Christi*

ad

ad Inferos non humilem & miseram, sed gloriosum faciunt. Cyrillus, Ambrosius, alii.

§. 7. Placet hæc sententia, ut plurimum Calvinianis, ipsi nimirum *Calvino, Ursino, Sabelio, Polano, Altingio & aliis*. *B. Brentius* noster, etsi orthodoxè asserat: Christum infernales dolores sensisse, non tamen per eos descensum Christi ad inferos de quo hîc quæstio est, definivit. Maculam, quam non modò *Bellarminus*, sed & *Autor* noster, *B. Brentii verbis Actor. 2.* inurere satagit, diluit jam tum, *B. Hutterus Expl. F. C. p. 957.* antequam autem Epicrisin Autoris examinemus, de sententia ipsâ propositâ, notandum est; confundere eam, *Descensum Christi metaphoricum*, juxta quem, totò exinanitionis tempore, præsertim verò passionis, sustinuit exquisitissimos istos, & verè infernales dolores in animâ suâ sanctissimâ; cum Descensu Christi *vero, reali, glorioso, ad inferos*, h. e. ad sedem inferorum; nec licet verba Symboli Apostolici detorquere in sensum metaphoricum, nullâ necessitate urgente, quippè quæ non minus ac aliorum Symbolorum verba, quantum scilicet fieri potest, proprietatem, & simplicitatem amant. Repugnât insuper ordo Symboli laudati, juxta quem Descensus postponitur morti ac sepulturæ, post quas Christo nihil ampliùs sustinendum erat; Absit ut ὕστερολογίαι alicujus Symbolum Sanctum insimulemus: adde, quod Christus in horto & cruce cum primis, sentiens iræ divinæ gravitatem, non possit dici *ἦλκετο τοῦ θεοῦ* & *ζωοποιήθη τοῦ θεοῦ*, descendisse ad inferos, *1. Petr. 3. v. 18.*

§. VIII. Epicrisin Autoris quod concernit, cum ipsòmet hanc sententiam improbamus, quatenus Descensum Christi ad inferos gloriosum, per infernales, quos sustinuerit dolores explicat. Sed & improbamus 2. dolores istos, in ipso damnatorum πῦρ ad quod descendit, Christum perpeffum fuisse. 3. Denique improbamus Autoris epicrisin, quâ negat Christum dolores infernales aut his similes, sustulisse unquam. Transitum antequam faciamus, ad ratio-

tio-

rationes Autoris, distinguimus prius cum Theologis nostris
 1. *inter gustum mortis æternæ, ejusque comestionem.* Gustavit
 Salvator mortem æternam, non quidem ratione durationis,
 h. e. non extensivè, sed intensivè, respectu scilicet habito,
 ad infinitam Dei iram, & immensum odium. 2. *inter mor-
 tis æternæ essentialis & accidentalis*, quæ distinctio eodem
 recidit. De essentiâ enim æternæ mortis est, infinitam in-
 finiti Dei perferre iram. Sicut describitur hæc mors
 æterna, non tam suppliciiis corporalibus, quàm animæ in-
 ternis cruciatibus, Matth. 7. v. 23. c. 25. v. 41. 1. Thess. 1. v.
 10. Hebr. 10. vers. 31. quia igitur Christus, dum peccata
 omnium hominum in se suscepit, gravissimam Dei iram
 subiit 2. Cor. 5. v. 21. maledictum factus, Gal. 3. vers. 13. &
 quas totum genus humanum ferre debebat, Genes. 2. v. 17.
 pœnas, solus ille tulit. Es 63. v. 3. dolores utique inferna-
 les perferens. Hæc autem mortis æternæ essentialiam ingre-
 diuntur, & absolvunt; duratio in tali subjecto, quale Chri-
 stus fuit, plane est accidentalis, nec alia esse potuit. optimè
 Dn. D. Siricius in Colleg. Anti Cal. quo ad rem [inquit] eam
 sustinuit maledictionem Christus, qua debebatur peccatis nostris,
 quæ sanè infernalis est; aut si hoc negatur, sequitur, Christum
 non satisfacisse. Talem sustinuit, qualem nos è sententiâ le-
 gis sustinere debebamus, quid, quod derelictio Dei, sit pœna in-
 fernalis, 2. Thess. 1. 2. 9.

§. IX. Jam ad rationes Autoris. Hæc (inquit) vel
 maximè absurda sunt, & impia, quare? fuit enim Christus (quæ
 prima ejus ratio) in acerrimis istis suppliciis, filius Dei di-
 lectus, in quo anima ejus complacuit, extra statum gratiæ nun-
 quam positus. Verum & breviter: Filium Dei posse dupli-
 citer considerari, 1. absolutè, in se & per se, quomodo sem-
 per fuit filius Dei dilectus, extra statum gratiæ nunquam
 positus, aut odio Patris expositus; vel 2. relatè, quomodo
 omninò odium Dei expertus est, quatenus nimirum in Dei
 judicio sub mole peccatorum totius mundi constitutus erat.

C

Nimi-

Nimirum, aliud fundamentum habet summa intima & indissolubilis dilectio filii; aliud operationum iræ ac odii erga Christum exercitio.

§. X. Secunda ratio his verbis coloratur. *Scriptura* (inquit) *Salutem nostram non ab inferorum hoc descensu, sed ab ejus exinanitione ad mortem crucis suspendit* &c. Verum quia juxta orthodoxiam nostram, infernales Christi dolores ad Exinanitionem ejus usque ad mortem crucis cum primis pertinent, omninò ab hoc metaphorico Christi Descensu, qui per passionem dolum quoq; Christi *infernalium* exponitur, procuratio salutis nostræ separari non potest; ita tamen ut nec de Descensu Christi glorioso ad inferos, Eiusdemque Resurrectione negari debeat, ut quidem hîc facere videtur Epicriticus noster, dum omnem salutem nostram suspendit tantummodò à statu Exinanitionis. Et positò Descensu suo Christum nihil nobis meruisse (quod falsum esse, mox demonstrabitur) tamen propterea ex aliâ scilicet causâ negandus non esset. Bene noster Hutterus *Expl. Form. Conc p. m. 971. Etsi* (inquit) *non negamus, Christum morte suâ destruxisse imperium Satanae: tamen non inde sequitur: ergo Christus non descendit ad inferos secundum substantiam, vel ut descenderet opus non habuit. Nam etsi non descendere debuit, ut demùm destrueret imperium Satanae: id quod jam antè satis sufficienter in morte Christi factum esse, libenter concedimus: tamen descendere debuit, ut secundum Scripturas ageret triumphum in inferno, & tùm Diabolis, tùm universis damnatis, sese presentem, ut victorem & triumphatorem sisteret, quare uti non sequitur, Christus suâ passione & morte reconciliavit nos Patri, portas cœli reseravit, imò eternam justitiam ac salutem nobis reparavit: ergò non opus fuit ut ascenderet in cœlum, suoque ascensu nobis dona ista compararet: ita nulla prorsus est ratio consequentia: Christus universo suo merito debellavit mortem & infernum: ergò non opus fuit, ut realiter descenderet ad inferos, & de devictis hostibus triumphum ageret. Haftenus ille. Ad de-*

mor-

monstrandum autem fructum Descensus & Resurrectionis Christi, hâc occasione huic *Epicritico* nostro, in memoriam revocare placet: quàm malè B. noster *Baldwinus* à Theologo quôdam *Helmstadiano* exceptus fuerit, quod ex v. 12 & 13. 1 *ad Cor. C. XV.* asseruerit: Vi immutabilis decreti divini, quô statutum homini, semel mori, postea iudicium *Hebr 9. v. 11.* potius, ac virtute resurrectionis Christi, impiis aliquando ex monumentis prodeundum fore; hâc enim ratione, prædictum Theologum *Wittebergensem*, virtutem meritorum Christi infringere, atque Calvinianorum causam in oppugnandâ beneficiorum Christi amplitudine, suâ illâ ἀπορροήν juvare. Mens itaque hujus Theologi *Helmstadiani* fuit: resurrectionem impiorum, fructum esse resurrectionis Christi, quam nos potius consequens inevitabile atque inseparabile illius esse dicimus; quidni multo magis piorum gloriosam resurrectionem fructum resurrectionis Christi esse nobiscum asserat, ex eâ ceu causâ meritoriâ promanantem? ane hoc nihil est conferre ad salutem? Sanè, ut non sibi, sed nobis Christus mortuus est, ita non sui, sed nostri causa descendit ac resurrexit *Rom. 4. v. 25.* Nec separanda est satisfactio Christi ab ejus descensu & resurrectione. Quam significationem enim partic. ἡγ' habet, ubi de traditione Christi in mortem usurpatur; eandem quoque obtinet, cum de resurrectionis effectu usurpatur, quid, quod salus nostra vitæ Christi expressè adscribatur, non minùs ac reconciliatio nostra cum Deo, morti ejus *Rom. 5. v. 10.* Et quæ causa, quod Apostolus v. 54. 55. *ἡμῶν* Christi, in nostra quoque resurrectione implendum esse dicat? audiamus denuò *Dn. Hutterum* pag. 931. quemadmodum (inquit) universum meritum Christi nostrum est, sic resurrectio, descensus ad inferos, ascensio ad coelos, & reliqua omnia, quæ Christus Salutis nostræ causâ fecit, aut sustinuit, nostra sunt; ac proinde non inconveniens est, pios & fideles itidem in resurrectione insultaturos hostibus istis: ubi

nam est inferne aculeus? ubi tua mors est victoria? non quidem, quod in modum Christi sint descensuri, ad inferos, ibique triumphum acturi: Sed quod triumphum hunc à Christo semel in inferno actum, per fidem sibi applicaturi, de quo eo, haud minus gloriaturi, ac si ipsi et descensu suo, illum sibi comparassent. Hinc hoc Salvatoris *Ἰνὴν* ad probandam nostram resurrectionem & liberationem ex inferno, rectè omninò adduci nobiscum fatentur ex Veteribus, Hieronymus, Tertull. Athanas. Ireneus, Eusebius ex Calvin. quoque Pareus, Zanch. Polan. Tremell. Jun. Beza, Rivet. Camero, Chamier.

§. XI. Tertia succedit ratio, à Scripturæ (ut putatur) silentio desumpta. *Et sanè* (inquit) *si dolores tartari subiisset Dominus, cur non ullibi ejus indicium extat? Christus ipse articulos suæ passionis subinde apud discipulos sollicitis computans articulis, vel nominat flagella, sputa, scommata, crucem, mortem, quæ omnia ludus sunt & jocus, si cum inferni doloribus compares, cur igitur hoc tacet.* Resp. negando, dolorum Christi infernalium, nullibi in Codice sacro, vel à Prophetis, vel à Christo ipso mentionem fieri, perpendantur modò illustriora illa Scripturæ monumenta, quæ extant Esa. 53. v. 5. Psal. 22. v. 1. Matth. 26. v. 39. 42. 2. Cor. 5. 21. Gal. 3. v. 13. & alia plura, ex quibus, lacus infernalis dolores Messiam fensisse ac sustinuisse, solidè demonstrat *Theologia Zachariana accuratissima Part. 1.* ut mirum sit, Autorem hæc non attendisse, sed eadem potiùs, nescio quibus exceptiunculis infringere studuisse; *regerendo ad locum Esaiarum: perussionem istam non venisse à Patre irato, cum & Parentes liberos suos, quos tenerrimè ament, castigent; item: si ex eo, quod dicatur correctio pacis nostræ super eum, colligendum sit, infernales dolores Messiam tolerasse, secuturum quoque ad æternas pœnas, peccatis nostris debitas, eum teneri, quod tamen non sit. Verùm solutio patet, ex §. VIII. & IX. Ad Psal. 22. reponendo: istam derelictionem, non fuisse ex-*

se exclusionem è statu gratia, cum relictis Scripturae stylo dicantur illi, qui exterius ita videntur constituti sub magnâ mole peccatorum. Verùm quæ & qualis derelictio h. l. intelligenda sit, modò laudata Theologia optimè notavit; ea scilicet quoad rem, in quam genus humanum incidisset suo merito, nisi intervenisset misericordia, quæ non solis externis & corporalib⁹ terminatur pœnis, sed & supernaturalibus. Dico quoad rem, nam adjunctum temporis, quod attinet, quod apud homines æternū fuisset, majestate & excellentiâ personæ compensatum est. Adde, quod hoc modo, Deus sanctos non soleat relinquere sub cruce, ut omni interiori solatio destituantur. *Replicando denique ad Matth. 26. Pavorem istum ac horrorem mortis, fuisse naturalem & liberum.* Sed, quid tum? non enim quæritur: an Humana Christi natura habuerit horrorem φουκῶς? quod non negatur: horrebat omninò fragilitas humana spontè assumpta, calicem istum amarissimum. Sed hoc in quæstione est: num metus iste in effectu editus, deprecatione scilicet calicis vino iræ Divinæ & maledictionis repleti; clamore flebili, & sudore sanguineo supernaturali; confortatione denique angelicâ, documento sit: Christum s. h. n. sensisse dolores infernales? id quod *B. Dorschei Th. Zach. irrefragabiliter demonstrat, à pag. 284. usq₃ ad 325.* ad quam proinde lectorem, cum Epicurico nostro remittimus! non negantes interim *Matth. 26. Marc. 10 & Luc. 13.* (ad quæ loca etiam *Pontificii* in hâc materiâ provocant) Dominum Apostolis suis, prædixisse corporis sui, nominando flagella, sputa &c. passiones externas, non item infernales animæ, quia nimirum scopus Christi erat, iudice *Hieronimo*, animos discipulorum à futuro inde scandalo præmunire, quod facilè aliàs suboriri potuisset ex passionibus istis externis in oculos discipulorum incurrentibus. Quas ob causas verò, huic Christi præmunitioni, in animis discipulorum eventus non responderit, optimè notavit *Disp. Inaug. Dn. D. Vejelii de Error. Apost. & Discipulor. Christi circa Regnum Messia*

Mundanum §. 5. & seqq. ubi videtis. Et posito, in Evangelistarum scriptis taceri infernales Christi dolores, non minùs ac ipsum Descensum ad inferos; sufficerent tamen Apostolorum testimonia, non minùs canonica, ac Evangelistarum, qui quoque nihil habent de lachrymis Christi in cruce effusis, nemo tamen Christianorum eas negare audet, viloci ad *Hebr. 5. v 7.*

§. 12. Tandem quod subjicit: *nusquam hujus rei extare typos; nec Ecclesiam annuâ memoriâ celebrare Descensum Christi; aut memorare à piissimo Redemptore toleratos cruciatus inferni; nusquam denique Christum in igne ardentem depingi, ut in sepulchro, in cruce &c.* Ad id Respondetur: omnes sanctos, quorum Scriptura meminit, quòd pavores conscientiaë, & angores animi sensu iræ divinaë perciti, cumque tentationibus & ipsa desperatione luçantibus, inferiori licet gradu, persenserint, typos dici posse dolorum infernalium à Christo antè mortem toleratorum. Falsum enim perpetuò supponitur, quasi Christus in ipso πῦρ damnatorum infernales istos dolores sustinere debuisset, illos quoque, qui sunt ab igne infernali, quem (posito, eodem non tantum exquisitissimos damnatorum dolores indigitari, sed ~~ignem~~ verum & realem) specie ab igne elementari differre probabile est, describitur enim in scripturâ, ut in extingibilis, agens in spiritus, & cum stridore dentium consistens: eo ipso enim, quod Descensum Christi ad inferos, cum Antiquitate sanâ non miserum, sed gloriosum asserimus; quicquid hic Autor de doloribus Christi ab ipso igne infernali sustinendis fabulatur, nihil omninò est, ruit etiam quod scribit; *sicut Christus in cruce, in sepulchro depingatur: ita etiam fore depingendum in igne ardentem; qualem sanè picturam pii oculi non ferrent, qui non ardentem in igne infernali, sed triumphantem in inferno super Diabolos & damnatos, colunt & adorant Dominum.* Supra etiam §. IIX. indicatum fuit, in quo præcipue infernalis dolor consistat! Ut non necesse fuerit, Christum omnes species pœnarum

infernaliū, illas etiam, quæ sunt ab igne infernali sentire debuisse; Ecclesia autem Christiana, annuâ memoriâ recolens festum Resurrectionis Christi, non solū illius triumphum mentionem facit, quem Christus egit de morte in suâ resurrectione; Sed & quem egit de inferno, factâ *zoo-ning* in suo Descensu. Sanè Apostolus 1. Cor. 15. Triumphum Resurrectionis Christi, in duas hæc quasi species distinguere videtur: ita autem Ecclesia Salvatoris sui Triumphos decantat, ut insimul recordetur dolorum Christi infernaliū, ante triumphos hæc actos, ab ipso tolerantium;

Hie ist das rechte Osterlamb/
 Davon Gott hat gebotten/
 Das ist an des Creuzes stamm/
 In heisser Liebe gebraten!

Agnus itaque assatus V. T. typus fuit agni immaculati Novi Testamenti ab igne ardentis iræ divinæ, in cruce cum primis, assati; quem ignem, si quis intensiorem ac penetrantio-rem, inferni igne, in propriâ scil. significatione sumto, dixerit, fortè non aberrabit. S. Eucharistia, etsi præcipuum monumentum sit mortis Dominicæ, teste Paulo, quâ ratione nec resurrectionis, nec ascensionis monumentum est, quorum memoriam Ecclesia quotannis, ob usum & decorum solenniter celebrat; nihilominus tamen monumento isto Eucharistico, Dominus sanguine suo, ob signat fidelibus totius meriti sui beneficia, quæ conjunctim ex Nativitate ejus, passione, Morte, Sepulturâ, Descensu, Resurrectione, & Ascensione ad cælos promanant; hæc enim quoq; instar catenæ sunt, ubi ruptâ unâ ansulâ, tota meriti Christi rumpitur catena.

§. XIII. Antequam progrediamur, ad tertiam ab Autore propositam sententiam, duo adhuc scopuli nobis sunt declinandi; quorum primus est: Num Christus in cruce verba desperabundi protulerit? ut quidem plerum-
 que

que sentiunt, qui secundam, hæc. examinatam' sententiam
 amplexi. Alter circa sensum verborum *Act. 2. v. 24. Quem
 Deus suscitavit, solutis doloribus mortis.* Primum itaq; quod
 concernit, negari sanè non potest, fuisse olim hæreticos &
 adhuc esse, qui blasphemè doceant: Christum ita fuisse de-
 fertum, ut ob desertionem, sibi desperandum esse putârit.
Hilarius statuit: Christum ita fuisse desertum, ut humani-
 tas separata fuerit à Personâ filii, atque ita unio dissoluta.
 Hæretica omnia. Nos rectiùs ex verbo Dei eruditi credi-
 mus: derelictionem istam Christi factam esse, non ratione
 essentialis, aut personalis unitatis, utriusque inseparabilis;
 nec saltem ratione auxilii miraculose, quo Deus Pater mira-
 culosè filium suum è manibus Judæorum eripere potuisset;
 verùm cum primis ratione subtracti sensus gratiæ cœlestis.
 Verbo: derelictio ista & corpus & animam Christi, & u-
 triusque supplicia respiciebat. Benè *Bernhardus: dereli-
 ctus (inquit) est Christus à Patre, 1. per condemnationem ad
 mortem. 2. per privationem Spiritualium consolationum sub
 immenso peccatorum onere; ista derelictio corpus: hæc ani-
 mam affligebat!* Neutra verò erat finalis aut perpetua,
 neutra desperata, sed utraque erat dispensativa, eruditiva,
παίδευσις & temporaria. Hinc etiam verba illa: Deus
 meus, Deus meus, quare me dereliquisti? non sunt verba
 Desperantis; repugnat enim ipsa vox Emphatica & fidu-
 ciæ plena, Deus meus, Deus meus. ut & v. 10. & 11. sed sunt
 verba significantis dolores infernales, conquerentisque:
 se non eo modo, quo Patres ex periculis liberari.

§. XIV. Dicis: Desperationem & quidem peccami-
 nosam, omninò admittendam esse, admissis doloribus Chri-
 sti infernalibus, cum ea, his, includatur. Respondemus 1.
 posito, desperationem pœnis infernalibus præcisè ratione
quidditatis suæ acceptis, necessariò esse annexam, cum sit
 extremus gradus dolorum infernalium interiorum, ad eam
 Christus, ob unionis Personalis vinculum pervenire non
 potuit. 2. Adhuc in quæstione est; Num desperatio in
 ipso

ipso π^s infernali sit pars infernalium dolorum ; num acci-
dens potius inseparabile in desperante ? item num damna-
ti desperando in inferno peccent ? Sunt sanè qui negant,
damnatos in inferno peccare, adeoque nec desperare pecca-
biliter! Nam (verba sunt incomparabilis *Dorschei Th. Zach.*
pag. 195.) *si desperare notat nihil aliud, quàm conceptum men-*
tis firmum & immutabilem, de certitudine sententiae condem-
natoriae, de perpetuâ exclusione ab omni fruitione beatitudinis,
de suppliciis aeternis, sinè remedii spe tolerandis, & exinde secu-
tam nolitionem beatitudinis, nihilque accedat insuper, tùm hoc
ipso, & intra terminos hos subsistentes damnati, non peccant.
Nam conformant hoc ipso sese voluntati & intellectui judicis.
Mors etiam finem facit peccato. Rom. 6. vers. 7. Quamvis
autem B. Vir, nihil certi hic pronunciare velit, remittens le-
ctorem ad D. Gerhardum T. IX. L. Th. p. 674. contrarium
asserentem, concludit tamen : stantibus hujus sententiæ
fundamentis, liquidum esse : desperationem peccamino-
sam, planè non esse necessariò annexam, pœnis infernalibus
internis. Propendet quoque in hanc sententiam Dⁿ. D. Osi-
ander tùm in typo legis naturæ amussitato, p 223. tùm in præ-
lectionibus Acad. publ. ad locum de inferno : nominatim ad
hanc ipsam questionem : Num probabile sit, damnatos in in-
ferno semper peccare, imprimis blasphemando ? Ubi ad argu-
mentum à desperatione desumptum respondet : desperatio-
nem formaliter non esse peccatum, quia in damnatis præci-
sè nihil aliud dicat, quàm horrorem & tristitiam, ex cogni-
tione peccati, & certitudine sententiæ divinæ decretoriæ,
impossibilitatem eluctandi ex infernis intimantem. Insu-
per accuratè monet, non peccare damnatos, non ex defectu
principii, manet quippè peccatum originale in ipsis, Sed
ex præfixione termini, quia sc. tempus μακροθυμίας expirâ-
rit, ipsisque sententia ultima, omnem ulteriorem peccan-
di licentiam, in loco isto patiendi præsciderit. Sententiam
interim oppositam, itid. non damnat, hæc tamen ut proba-
bilia disputat ; quæ instituto nostro sufficient. Spero ta-

D

men

men à limâ veritatis me non aberraturum, si desperationem istam, pœnam in incredulis hominibus, aut potius adjunctum pœnæ æternum duraturæ dicerem; quia enim homines ob incredulitatis peccatum damnati, *ψυχοὶ* ex inferno non possunt eluctari, hinc desperant; cum autem Christus omnis peccati expers, ut *θεὸς ὁ ἰσχυρὸς*, mortis, inferni, ac Diaboli victor evaserit, hinc desperare non potuit; aliter itaq; sentiendum est de iis, qui propter finalem incredulitatem in ipsum infernum vi ultimæ sententiæ decretoriæ, detruuntur, in quo & *quidditative* & *adjunctive* ratione sc. *loci* & *temporis*, dolores infernales sentiunt; & aliter judicandum de piis & Christo Salvatore ipso, qui in hâc vitâ dolores infernales gustârunt, amittendo sc. non quidē *actum*, interim *sensum* favoris divini; pii quidem examinando propriam vitam suam peccabilem ad rigorem legis, qui ipsos æternâ morte reos pronunciat, hinc dolores isti infernales eos invaserunt, & adhuc invadunt; Christus verò suscipiendo in se totius mundi peccatorum molem! Ut autem pii de gratiâ Dei non desperant, sed evangelio sese erigunt: ita nec Christus desperavit, innixus certâ fiduciâ de liberatione ex angustiis & iudicio, juxta Es. 50. v. 7.

§. XV. Alterum quod concernit locum, nempe ex *Actor. c. . vers 24*. Dicitur: *per resurrectionem solutos esse mortis dolores*; non dolores accipiendo post mortem adhuc *formaliter*, pro cruciatibus sensum affligentibus, aut animam; sed *metonymicè*, pro illis scilicet rebus, quæ dolores illos in cruce subsequutæ, ut sunt v. g. laquei mortis, separatio animæ à corpore, existentia in statu mortuorum; in cruce enim Christus cunctos τὴν *πανότρ* dolores sustinuit; sed in resurrectione solvit dolores, i. e. dissolvit mortis laqueos, mortique se eripuit, eamque prostravit, ingressus eam vitam, quæ est immunis à vinculis mortis; quod enim anima Christi in triduo mortis, non sustinuerit cruciatus, patet per se. Vocantur autem laquei illi mortis dolores, quia à doloribus fuerunt procurati & accersiti. Vocabulum quo-

quoque græcum *πενήδυ*, nonnisi vincula & compedes mortis, quibus triduo isto corpus Christi ligatum fuit, intimat. Famigeratis. *Dn. D. Siricius* aliter paulò mentem suam super h. l. explicat in aureo suo de *Lachrymis Christi discursu*, p. 60. ubi dicit: *Se equidem non improbare illorum sententiam, qui ut soleat fieri, in istiusmodi locutionibus, substantivum unum, adjectivè interpretentur, ut dolores mortis, et mors dolorosa &c. nihil tamen obstare, (ait) quo minus substantivum in explicatione retineatur, & intelligantur dolores ante mortem à Christo gustati.* Quæ interpretatio si retineatur, frustra urget Epicriticus noster vocem *ἰανάτῃς*, pro quâ substituenda fuisset vox *ἄδῃς*, si ex h. l. quis probare velit, Christum infernales sustinuisse dolores; cum doloribus istis mortis, hoc est, ante mortem gustatis, inferni dolores omninò implicati sint, quippè quibus finis impositus fuit, quando Consummatum est, in cruce Salvator exclamavit.

§. XVI. Ex his omnibus jam patet, falsum esse, Autoris assertum: § Scripturam nullibi (quoad rem sc) infernaliuna Christi dolorum, mentionem facere; contrariū evincit, vel solum suprà allegatum c. 26. Matthæi, collatū cum Luc. 22. v. 42. & Marc. 14. v. 36. veriùs scripsisset: in Evangelistarum scriptis Descensum Christi gloriosum ad inferos, descriptum nuspiam inveniri; non quasi somnia sint, quæ de hoc articulo commemorantur, stabilita quippè duorum Symbolorum Apostolici scilicet & Athanasiani autoritate, communi prisca Ecclesiæ consensu approbata, & ex ipso verbo Dei desumpta; sed quod solenne Evangelistis fuerit, ea tantum scriptis concedere, quæ ipsimet suis viderunt oculis, vel ex aliis oculatis testibus indubitatâ fide perceperunt, teste Luca c. 1. v. 1. Act. 1. 1. Et si manu historiam resurrectionis versamus, nuspiam modum resurrectionis Apostolorum calamo datum reperiemus, quâ ratione Christus corpus suum redivivum & gloriosum crexerit, quâque gloriâ lapidem perruperit

perit sepulchralem, sed solum manifestationes, Cavegorii & omnia Christi facta, ex Evangelistis nobis constabunt; quæ proinde de causa modum Resurrectionis Christi, Evangeliste prætermiserunt, eandem causam dare poterimus, cur & articulum de Desc. præterire voluerint. Hæc & plura nobis dicente Harmonia Evang. B. D. Gerhardi.

§. XVII. Tertia sententia, Descensum Christi de Limbo Patrum ex quo illos eduxerit exponens, quoniam ab authore ipso ceu erronea rejicitur, argumentis hæctenus à Theologis nostris adhiberi solitis, ulteriore nostro examine haud indiget. Sed quæ quæso vertigo hominis est, episcrisin suam super hanc sententia, his verbis claudentis? *Est tamen sententia Patribus recepta, Christum descendisse ad Concilium Sanctarum animarum, easque ab inferis reduxisse. Et sanè (inquit) malè descendere in hanc sententiã, quàm descensum hunc de Christi doloribus in inferno toleratis exponere.* Ex hanc enim episcrisin non modò apparet, falsum (toties à nobismetipsis rejectum præsuppositum, de doloribus Christi infernalibus, in ipsò infernò toleratis: Verùm etiam, non improbabilem Autori videri sententiam istam Patribus quondam (ut putatur) receptam, de Descensu Christi ad Concilium Sanctarum animarum; quæ tamen sententia Scripturæ tam incognita, imò adversa est, quàm ista Pontificiorum de Limbo Patrum, quas inter parum discriminis interjacet, iisdem propterea argumentis infringuntur. Equidem negari nequit, olim opinionem istam quibusdam Patribus non omninò displicuisse: Sanctorum scilicet animas ante extremum diem ad visionem Dei beatificam non admitti; *B. tamen Augustinus* ipse errorem hunc, non minùs ac istum de transitu omnium per ignem, ex professò suo tempore refutavit. Videndus hic omninò *Magnificus Dn. Præses in Anti-Fabro part. II. artic. VII. à p. 234. usq; 595* ubi ex professò ex S. Scriptura & Antiquit. hanc & connatas indè controversias Patrum, solidissimè pertractat. Insuper nec hoc negandum est, Patres nonnullos ita locutos fuisse: *Christum*

sum suo Descensu ad inferos, Sanctos indè eduxisse; Verùm non sensu Pontificio, quasi in Limbo fuerint, atque indè à Christo liberati, sed ideò, quia animæ Sanctorum in Paradiso quidem ac in sinu Abrahæ quiescebant, mortis tamen aculeum in eo adhuc sentiebant, quod cum desiderio, corporum suorum resurrectionem expectarent, cujus voti compotes Christus eos reddiderit, eadè in resurrectione suâ, è monumentis suis reducendo. *Matt. 27. v. 52. 53.* ita *Cyrillus, Hierosolymit. Hilari⁹, Theophylactus Eusebius & Chrysostomus.* Taceo, quosdam ex *Patribus* per hypothesein de fructu potius videri loqui; quòd Christus Sanctos ex inferno liberârît, non conclusos ibidem eos educendo, sed cavendo nè in eundem descendere deberent! Adde quod *problematicè & disputativè* hæc ita disputent, suumque videri subinde semper ingeminent. Ita *August. l. XX. de Civ. Dei c. XV.* non absurde credi videtur, inquit: *Antiquos Sanctos apud inferos fuisse, donec eos Christi ad ea loca descensus erueret &c.* Sed hæc *καὶ πάλιν* quasi, quoniam enim Epicritico nostro, ea sententia, qui in quarto & ultimo loco proponit, omnium optima esse videtur, ita ut melior non occurrat, sinè ulteriori ambage ad eam examinandam pergimus: quam his verbis proponit, ut § seq. exhibet.

§. XIIIX. *Quarta sententia est: Christum ad Inferos descendisse, hoc est specui subterraneo, vel sepulchro illatum fuisse, hoc est, in tumulo triduum mansisse. Nec improbabilis est hæc sententia, dum melior non occurrit, nam alias de hoc articulo rectius potest dici, quid non sit, quàm quid sit! in Sacris decantata est hæc formula, Descendere ad Inferos, sed communiter accipitur vel accipi saltem potest de sepulturâ vel descensu in loca subterranea, ita Psal 19. Si descendero in infernum ades, hoc est, in infimas terræ partes. Item Gen. 37. v. 35. Jacob dicit: cum luctu se descensurum in infernum. Lutherus reddidit: ich werde mit dem hinunter fahren in die Gruben zu meinem Sohn. Quis dicet, Patriarcham in gehennam descendisse? Similiter de gehennâ exponi opus non est, cum*

dicitur: quod Core, Dathan, & Abiron à terrâ absorpti, in infernum vivi descenderint, h. e. in terra abyssum. Num 16. infernus in Scripturâ dicitur fossa, vel sepulchrum, & quicquid est infra terra superficiem. Sic inferni funes dicuntur compedes mortis, 2. Sam. 22. v. 6. Der Hölle Band umbfien gen mich / und deß Todes-Strick überwältigten mich. Quid! in Scriptura sunt tria loca, in quibus Christi ad Inferos descensus fundatur. Primus est Psal. 16. non derelinques animam meam in inferno. Sed insigniter nobis hic locus favet: nec dabis ut Sanctus tuus, videat corruptionem; ergo non relinqui in inferno, est non relinqui in sepulchro, nec putrescere. Alter locus est Rom. 10. v. 6. Sprich nicht in deinem Herzen / wer wil hinauff gen Himmel fahren! (das ist nichts anders dann Christum herab holen) oder wer wil hinab in die Tieffe fahren? Das ist nichts anders / dann Christum von den Todten holen. En! descendere in abyssum, est Christum inter mortuos, in sepulchris quarere, non in gehennam ignis immitti, vel inferni vestibulum lustrare, sed ipse textus de loculis mortuorum id accipit. Tertius locus est, Ephes. 4. v. 9. qui ascendit, idem ille descendit, in inferiores partes terra. Sed nihil de gehennâ, ejusque limbo. Et ipse Thomas Aquinas ait in h. l. rectè eum exponi posse de CHRISTI descensu è cœlis in hanc terram, quæ est mundi pars inferior, infra orbem cœlestes, infra spheram ignis, infra nubes, infra aerem, adeoque infima pars universi. Sufficit igitur de sepulchro vel sepulturâ exponi, nam inferior pars terra non est sepulchrum, vel fossa subterranea? ergo nè objicis, in Symbolo Apostolico tautologiam committi censeo? Respondeo, non est novum in Symbolo, unum sub altero contineri, nam & articulus de Ecclesiâ continet communionem sanctorum. 2. Si quæ sit tautologia, ea in recentioribus est Symbolis, in antiquioribus enim hoc additum deest. Hac particula ex Symbolo Apostolico removeri poterit, salvâ fidei integritate, modò absque scandalo fieri id possit. Atq; hæc sententia nostra est, de DESCENSU CHRISTI ad inferos.

§. XIX. Descendit vel tandem Epicriticus noster in illorum sententiam, qui Descensum Chr. ad infer. de sepulturâ ejus intelligunt. Sunt autem illi commentatores quidam Calviniani, *ad C. II. Actor. Beza, Piscator, Bullinger*; quos sequuntur *Eglinus Iconius, Wittakerus, Galii. Photiniani* quoque de itatu mortem consecuto Descensum Christi exponunt, ut videre est apud *Smalzium in refutat. disp. III. Franzii de Personâ Christi. p. 71. & in confessione editâ* demùm anno *CIO IO CLXII.* Calvinianos nominatos, lociis suis ab ipsis hâc in parte dissentientibus committimus, *Ursino, Sohnio, Chamier* imô ipsi eorum Patriarchæ *Joh. Calvino*, cum quibus transigant. Id potius miramur, Epicriticû nostrum, à suæ sectæ Doctoribus hîc dissentire; quippe qui non negant: Christû ad inferos verè & realiter descendisse, dissentiunt solùm, quâ subjectum. Descensus, quod cum Pontificiis, contra Scripturam, For. C. Symbolum Apostol. & Ecclesiæ testimonium, solam animam Christi fuisse putant; videatur *Consensus Repetitus Fidei veræ Lutheranæ art. 3. de Christ. punct. XII. & Consensus Rep. vindicat. Dn. D. Strauchii p. 251* quæ rursus Epicriticus insperit de immissione in gehennæ ignem, propria (ut sæpiùs monitum) Autoris glossa est, dicam an calumnia?

§. XX. Attendamus autem ad rationes, quas pro sententiæ suæ confirmatione adducit. Et quidem I. ambiguum est, quod dicit; *rectius dici posse, de hoc articulo, quid non sit, quàm quid sit.* Id enim verum est, si intelligatur de rei credendæ difficultate ex rationis ἀναταληΐα; falsum, si intelligatur de ignorantia ipsius rei credendæ; res ipsa satis constat ex sacrâ scripturâ Christum nempe realiter descendisse ad inferos, & quidem modo non passivo, sed activo, captivando captivitatem; num verò locali, num illocali, id non est, ut argutis imaginationibus scrutemur, monente *Formulâ Conc. sed acquiescimus in hisce.* Difficultas præterea probationis vel est *ex defectu revelationis sufficientis, vel ex defectu mediorm hermeneticorum in subjecto, circa tex-*

rum biblicum occupato ; utut hanc negare non possimus, cujus specimen Epicriticus noster hîc nobis exhibet : priorem tamen non admittimus.

§. XXI. Verùm propiùs ad rem accedit, *urgendo formulam loquendi Scripturæ usitatam, quâ phrasi descendere ad Inferos communiter notetur Sepultura, vel descensus in loca subterranea, quem in finem allegat quadam Scripturæ loca utpote Gen. 37. v. 35. Num. 16. v. 30. 2. Sam. 22. v. 6. Ps. 139. vers. 8.* Verùm Respondetur 1. generaliter : phrasi hâc descendere ad inferos, multoties notari Sepulchra, loca subterranea, in quæ corpora defunctorum inferantur, nemo negat; cum sit extra dubium ; quin & propterea inutilem judicamus litem, quam *Bellarminus* movit *Beza* ex opinione Cardinalis contendenti : vocem *Scheol* semper accipi pro sepulchro ; Cardinali ad alterum extremum declinante rarò se. id fieri, aut nunquam; quod posterius *Delrioni* placet. Aliter sanè ex *Complicibus* sentiunt *Em. Saa*, enumerans XXVI locos V. T. in phrasib. Script. in quibus agnoscit inferos seu infernum pro sepulchro sumi. *Joh. Lorinus* in cap. IX *Ecclesiastæ*. *Fr. Ribera* in c. 5. *Osæ Sanctius* c. 78. in *Esaiam*; *Christoph. à Castro* in c. 37. § 44. *Gen.* quâ de controversiâ videatur è nostris *B. Gerhardus L. C. de morte*, §. 173. *T. 8.* § *de Inferno L. C. T. IX.* §. 4. è Calvinianis *Andr. Rivetus Comment. in Psalm. Prophet* p. 73. § *seqq.* ubi tamen *Bezam* suum excusare studet : quippè qui non neget vocem istam aliquando, etsi non semper (ut calumniatur Cardinalis) sumi pro sepulchro, verùm tunc deflectere à propriâ suâ significatione, juxta quam non nisi infernum significet. Suprà laudatus *Meisnerus* calumniam hic itidem agnoscit manifestam, quam *Bellarminus Beza* impegerit, & dubitat valdè, num Cardinalis ipsum locum *Beza* inspexerit.

§. XXII. Respondetur 2. in specie ad loca ab Autore adducta. Primum quod concernit, ex cap. 37 *Genes.* petitum, certum est, phrasi istâ *Descendere ad Scheol*, mortem hujusque consequens sepulchrum intelligi. Sensus enim

Pa-

Patriarchæ putantis, filium suum à bestiâ carnivorâ devoratum esse, planissimus est: quod ipse propterea cum dolore descensus sit ad inferos h.e. quod sit moriturus vel descensus in sepulchrum! Sunt qui istâ phrasi, communem omnibus mortis viam ac regionem, quam omnis caro ingredi necesse habet, Patriarchâ intellexisse, existimant, quo sensu vox Scheol occurrit Ps. 89. v. 49. quia nimirû persuasus fuerit, Josephum non sepultum, sed discerptum esse. Verùm & discerptos quandoq; sepeliri, constat ex 1. Reg. 13. 29. In secundo ex Num. 16. adducto loco, vocem Scheol voragine terræ notare, dicitur, sed undè probatur? Sanè Bellarm. lib. 4. de Chr. c. 1. locum damnatorum intelligit, quæ sententia nostris quoq; ut plurimum placet. Etsi verò obstare videatur, quod & omnia seditiosorum bona v. 33. cum ipsis dicantur descendisse *האולה*; insuper non probabile sit, imò incertum planè omnes homines qui cum seditionis autoribus periêre, in infernum locum damnatorum, fuisse detrufos; tamen ad minimum, quoad ipsos seditionis autores, *medium à termino* distinguui poterit, ita ut mediante voragine terræ, à quâ absorpti, detrufi fuerint, in ipsam gehennam. Nam, quod seditiosi à terrâ absorpti fuerint, & quod vivi descenderint in infernum distinctè dicitur. In tertio loco ex 2. Sam. 22 per funes inferni, & laqueos mortis, intensissimos animæ suæ cruciatus David describere voluit, ex quibus tandem à Deo liberatus fuerit, videantur loca Scripturæ 1. Sam. 2. v. 6. Ps. 30. v. 4. & 28. v. 1. & 88. v. 4. 5. in quibus & pluribus aliis, Descendere ad inferos, in lacum, in foveam &c. notat omnis generis afflictiones, spirituales cum primis, quæ vocantur dolores inferni, & in impiis exquisitissimorum cruciatuum, qui ipsos aliquando in gehennâ excipient, sunt prænuncii, in piis verò fidei invocationis & patientiæ exercitium, prout ipse B. Lutherus ad verba Davidis producta annotat. Ultimum tandè quod concernit locum ex Ps. 139. v. 8. quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es; si de-

E

si de-

si descendero in infernum ades. Positò per infernum, inferiores partes terræ in oppositione sc. ad *cælum aspectabile* intelligi, ut etiam exponit *Em. Saa*, nihil indè infertur, quàm vocem *Scheol*, aliquando, præter infernum, aliquid aliud notare, quod nemo nostrum negat. Sensus autem simplicissimus hic est: Tu Domine vides & cognoscis omnia, ubicunq; quis habitaverit, sive in cælo h. e. in loco supremo, sive in inferno h. e. loco infimo; utrobiq; dextera Spiritus tui, ac virtutis tuæ hominem apprehendere novit.

§. XXIII. Sed jam vel tandem, omnem argumentorum suorum vim, effundere videtur, Epicriticus noster. Quid (*inquit*) in ipsis Scripturis sunt tria loca, in quibus Christi ad inferos Descensus fundatur. vide §. 18. Verùm in tribus istis exclusivè sumptis Scripturæ locis, fundari descensum Christi ad inferos, partim ex dictis falsum esse colligitur; partim jejunè nimis asseritur. Nam quod concernit locum primum ex *Psalms. 16.* etsi sint, qui eundem, ἐπιφθωσ ad minimum & implicite de triumphali Christi descensu agere autument; pauci qui cum *Augustino* directè h. l. de eodem agere persuasi sint, malo tamen, salvâ illorum autoritate, sequi vestigia non minoris subsellii Theologorum, *Hutteri scil. Graueri, Haberkornii, Wagneri, Misleri* & aliorum, qui cum *Autore* ipsimet de non relinquendo corpore Christi in sepulchro, & de non corrupenda carne Christi in eodem, eundem simplicissimè omnium explicant; verbo: Christus ex morte & sepulchro liberari petit, tantum ab est ut de inferno triumphum agat, quod non competit Christo glorioso, sed humiliato. Conferatur etiam *Dn. Rivetus l. c.* ubi in evolutione sensus hujus loci, accuratissimus est.

§. XXIV. Difficultates si quæ occurrunt, fortè explicabiles sunt; potissima est de voce נפש quam pro corpore mortuo sæpius in scriptura accipi (putà *Levit. 19. v. 28. c. 21. v. 2. Num. 5. v. 2. c. 9. v. 10. c. 19. v. 11. Hagg. 2. v. 14. & alibi*) tam clarum est, ut *Bellarminus* ipse vel tandem, *Beza* hoc concedere coactus fuerit, & fateri: vocem *Nepesch* esse generalissimam, & significare non tam animam, quàm

quàm animal, imò & corpus. Secus autem rem se habere putat, cum voce græcâ ψυχῆ, quæ non sit tam generalis, ac vox hebræa שׂדַּי. Verùm lubrica est hæc exceptio, sufficit LXX. interpp. quorum versione Petrus, *Actor. 2. v. 31.* citans verba Psaltis usus est, in hâc latitudine vocem ψυχῆν adhibuisse; id quod tam manifestum, ut non possit in dubium vocari; cum inspectio ocularis doceat, in omnibus istis locis, in quibus שׂדַּי pro corpore mortuo sumitur, à LXX. vocem ψυχῆν in Versione fuisse adhibitam. Et posito, per utramque vocem שׂדַּי & ψυχῆν, non nisi animam Christi intelligendam esse, ita ut Petrus voce σαρκί, non idem expresserit ac voce ψυχῆ (more sc. Scriptoribus sacris haud inusitato, unum subjectum variis nominibus exprimentibus, in duobus orationis membris, ubi unum est exegeticum alterius;) sensus tamen hic esse posset: non derelinques animam meam in inferno, h. e. in statu mortuorum, in quo est anima separata à corpore; sed protinus eam corpori reunies! Nec facilè quempiam movebit, quod *Bellarminus* de alterâ voce אֲדָם regerit: illam apud classicos Scriptores græcos nuspiam legi pro sepulchro: Siquidem *Act. 2. v. 29.* Sepulchrum Davidis non אֲדָם, sed τὸ μνῆμα vocetur; quicquid enim sit de hoc, certum tamen est *Hesychium* vocem אֲדָם per τὸ φόν exposuisse; & LXX eandem, in eâd. latitudine adhibuisse, quâ usurpata reperitur vox Scheol apud Hebræos. Jesuita quoque *Lorinus ad c. 2. Actor.* fatetur vocem אֲדָם pro morte accipi, quo modo res eodem recidit; non derelinques me in morte, aut sepulchro, utp. quod consequens mortis est. Posito autem, per vocem אֲדָם nec mortem nec sepulchrum intelligi, sed infernū, commodè tamen vox inferni, per dolores infernales exponi posset, hoc sensu: Non permittes, ut dolores infernales prævaleant mihi; quæ interpretatio multis quoque ex Nostris probatur.

§. XXV. Nec alterum quem producit locum, unquam in Theologorum nostrorum scriptis deprehendi ceu basin, adductum pro Descensu Christi ad inferos. Sensus verborum illorum *Rom. 10. v. 6.* simplicissimus hic est: ut justitiam fidei consequaris, non est necesse, ut in cœlum

ascendas, & Christum inde tibi deducas, aut ut in abyssum descendas, & Christum è mortuis reducas, sed propè te est verbum filii, in ore, & in corde tuo; age igitur, confitere ore tuo Dn. JESUM, & crede in corde tuo quod Deus illum excitaverit è mortuis, & salvus eris.

§. XXVI. Ultimum tandem, quod concernit locum, ex *Ephes. c. 4. v. 8. 9. 10.* diffiteri non possumus, esse qui descensum illum v. 9 & 10. de extremâ Christi exinanitione explicent, ubi *inferiora* sæpè notent cordis angustias *Pf. 130. v. 1. abyssus terræ, Pf. 71. v. 20. & fovea inferior Pf. 88 v. 6.* notent graves miseras; imò *ipsum cor terræ*, sepulchrum denotet, *Matth. 12. v. 40.* Sunt, qui subsistunt in v. 8. quem de reali Christi super inferos triumpho, captivando nim. captivitatem, intelligendum esse fatentur. *B. Dn. D. Cundisius Comp. Theol. L. XXIII. q. 31. §. 43.* etsi primæ sententiæ autoribus faveat, dicit tamen se non reprehendere, illos magni nominis autores, qui descensum *Eph. 4. vers. 10.* de descensu Christi ad inferos exponant. *B. tamen Brentius* in suâ *Catechesi* totum hunc locum inter certissima & apertissima Scripturæ testimonia numerat, quibus articulus de Descensu confirmari possit; quem sequuntur ex nostris, *Eckardus, Hutterus, Hulsemannus, Meisnerus* & alii, insistentes vestigiis insimul *Theophylacti & Ambrosii ex Veteribus*, quibus dudum calculo suo subscripserunt *B. noster Lutherus*, in *Post. Dom. in Sabb. Paschæ*; & *Theologi Wittenberg. in Declarat. anno 1595.* editâ. Rationes autem & argumenta quæ urgent, sequentia sunt potissimum. 1. enim, loquitur Paulus de *λόγω & σώματι*; non igitur hoc velle potest, ac si Christus incarnatus descenderit è cælo in terram, vel etiam iterum matris, ut incarnaretur. 2. nec dicit Apostolus, illum, qui ascendit. in terram priùs (ut aliàs loqui amat Scriptura) descendisse, filium nempe hominis de cælo, & venisse in hunc mundum. ubi de ejus incarnatione sermo est, vid. *Joh. 3 v. 13. c. 16. v. 28.* Sed inferiores, seu infimas partes terræ, comparativus enim vim superlativi habet. 3. aliud est

est formari in inferioribus terræ, quâ phrasi *Ps. 119. vers. 5.* formatio in utero materno notatur; & aliud est descendere ad inferiores terræ partes, id quod vel sola oppositio summi cæli, & inferiorum terræ partium evincit. 4. Secundum Apostolum, *κατάβασις* idem est, quod *ἀνάβασις*, cum autem hæc sit gloriæ & triumphi, & illa talis erit, non igitur per sepulturam exponenda. 5. Ei Cælo, quod est supra omnes Cælos, & supra quod non est aliud quid, non terra, sed infernus opponitur, qui infimus, seu inferior, ac infima terra pars, postquam non est aliud quid dicitur, non localitate Physicâ, aut geometricâ dimensione, sed mysticè & theologicè, quo sensu superi & inferi, πῆ beatorum & damnatorum sibi opponuntur, non πικρῶς (nam dæmones etsi sunt principes aëris, tamen sunt *καταχθόνιοι*) sed *πνευματικῶς* & theologicè, non secundum loci, sed status diversitatem, quæ non physico locorum intervallo, sed *μεγάλῃ χάσματι σπριγμῶ* definitur. 6. Collustrationis ergo jungunt huic loco, locum istum classicum ad *Philip. 2. v. 10.* ubi dicit Apostolus: *Quod in nomine Jesu, omne genu sese flectere debeat, Cælestium, terrestrium, ac inferorum.* Ubi, uti cælestium nomine, cæli, Terrestrium terræ; ita *καταχθόνιων* seu inferorum nomine gehennæ incolæ sinè dubio intelliguntur. *Hugo Grotius* quidem, ut est novitatum amans, per *καταχθόνιων* mortuos intelligi putat, sub terrâ abditos, qui reverentiæ signa exhibituri sint Christo, ubi nempe per eum excitabuntur. Rectius verò per cælestes, terrestres & subterraneos, *Chrysostr.* *Theophyl.* *glossa interl.* *Thomas, Lyra* & alii, Angelos, homines & dæmones intelligunt, non exclusis interim ratione Cæli, animabus beatis, rat. inferni animabus damnatis, quippè quæ non minùs ac dæmones se subicere coguntur Christo, cujus subjectionis, æque ac adorationis signum est genuflexio. *Rom. 11. v. 4* non malè *Beza* simplex Christi in omnes creaturas imperium intelligit juxta quod præsentiam & majestatem suam, omnia implet, in cælo, in terrâ, & in inferno, quod *1. Cor. 15. vers. 35.* per *πῆ βασιλεύειν* explicatur.

§. XXVII. Plura adferri possent argumenta κατὰ
 οὐρεαστικά hujus sententiæ, partim ex scopo, partim ex fine A-
 postoli petita. Verùm sufficiat hæc annotâsse, quibus
 præter hoc, nihil superaddimus; quòd nimirum Paulus
 commendaturus donantem & captivantem Dominum, ad-
 ducat Ps. LXIIX. qui omnium ferè commentatorũ consen-
 su, continet ἐπιτυχίαν quod David Ducisac Triumphatoris
 Personam induens, cecinit, vaticinando de gloriosâ Chri-
 sti adversus hostes infernales, in passione suâ devictos, vi-
 ctoriâ; ex Descensu ad inferos; ascensu ad cælos sessione
 ad dexteram Dei; & collectione Ecclesiæ conspicuâ. Quo-
 niam igitur in hoc Psalmo, David nil nisi gloriosos trium-
 phos intonuit, quis negaret, Paulum hic ex professo agere
 de Descensu Christi ad inferos? Ut patet cuius textum
 penitiùs consideranti, in quo Paulus nihil memorat eo-
 rum, quæ Christo evenerunt ante mortem ejus, sed tantum
 post mortem & sepulturam.

§. XXIIIX. Quod si quis obvertere velit: Victorio-
 sam hanc captivationem, Exaltationi fuisse reservatam,
 non Descensui; Ei respondebimus: Descensum ad infe-
 ros, in certò sensu tantum non in omni opponi Exaltationi.
 Si enim Exaltatio specialiter accipitur, prout notat Christi
 glorificationem ejusque manifestationem, factam coram
 electis, tunc opponitur ei Descensus ad inferos; & denotat
 glorificationem ejusque manifestationem factam in inferno,
 coram hostibus, jam superatis & devictis. Sc. unius ejus-
 demque status exaltationis, plures dari possunt gradus &
 actus.

§: XXIX. Tandem, quod ad objectionem, quam
 sibi ipsi objicit Epicriticus, respondet: nihil novum esse, in
 Symbolo unum sub altero contineri, ut articulum de Ecclesiâ,
 sub communionem Sanctorum; item, si tautologia quedam occur-
 rat, occurrere illam in Symbolis recentioribus, non in antiqui-
 oribus, in quibus additum hoc desit: hanc igitur particulam
 deleri posse, salvâ fidei integritate, modo absque scandalo fieri
 possit

possit. Ad id vicissim Respondetur 1. Symbolum Apostolicum (de hoc enim hinc quæstio est) esse compendium istorum articulorum fidei, qui t. t. in quæstionem veniebant, ideoque repetitionem ejusmodi tautologicam, aut inordinatam ipsorum articulorum seriem non admittere. Jam autem Descensus postponitur crucifixioni, morti ac sepultura, ideoque sicut crucifixionem sequitur mors, & mortem Sepultura, ita hanc Descensum sequi necesse est. Bene etiam monet Calvinus l. 2. institut. c. 15. sect. 8. quoties locutiones dua rem eandem exprimentes simul connectuntur, posteriorem esse prioris exegetin convenit. At verò qualis ista erit exegetis, si quis ita loquatur: quod Christus sepultus esse dicitur, significat ad inferos descendisse! Et quanta oscitantia fuisset, rem minimè difficilem, verbis expeditis & claris demonstratam, obscuriore deinde verborum complexu indicare? prout B. Dn. D. Hutterus Expl. F. C. pag. 955. & B. Dn. D. Eckardi tr. de Desc pag. 39. hæc verba ipsimet ex Calvino allegant. 2. sub Ecclesiâ Catholicâ, quæ talis est & dicitur, ratione doctrinæ Prophetico-Apostolicæ, fidei, & temporis quoque, contineri communionem Sanctorum quæ per verbum sanctificata est, serviens Deo in Sanctitate, Ephes. 5. vers. 25 Luc. 1. vers. 74. certum est, eo ipso quia sub cœtu vocatorum catholico, latet pusillus ille electorum grex, visibilis quidem in illo cœtu ratione externæ congregationis, verum ratione formæ internæ fidei sc. non demonstrabilis per separationem individuum. Non itaque ut communio Sanctorum, sub Ecclesia Catholicâ continetur, certo tamen habito discrimine, ita ut hæc definitivè, non sit illa, & v. v. ita etiam Descensus ad inferos continetur sub sepulturâ & quidem nullo discrimine habito inter hanc & illum, ita ut Descensus definitivè nihil aliud sit, quàm ipsa sepultura; sub quâ tamen nullo modo contineri, ex dictis constat. 3. quod in antiquioribus quibusdâ Symbolis, Descensûs nulla fit mentio, id inde est, quod eo tempore non venit in controversiam; quemadmodû ex hâc ipsâ causâ ipsum Symbolum Apostolicum, ab initio

non

non omnia ista est complexum, quæ postea procedentibus temporibus unâ hæresi post alterâ irrumpe[n]te complexû est, & hodiè comp[re]h[en]ditur. Teste enim *Erasmio ex Tert.* in principio clausula ibi fuit: Credo in Spiritum S. expressam interim hujus articuli mentionem faciunt, Symbolum *Athanasianum*, ut & Symbolum Synodi *Sirmiensis*, ap. *Socratem lib. 2, hist. Eccl. c. 37.* & *Arimiensis* ap. *eund. c. 41. 4.* Particulam istam ex Symbolo removeri posse, salvâ fidei integritate, non dicam minùs prudenter, sed minus Christianè judicat *Epicriticus* noster, injurius quippè hâc rat. in auream hanc fidei articulorum catenam, de qua hæctenus inter *gymnasticos* Lutheranos, & suæ Sectæ Doctores, acriter disputatum fuit: num explicitè, adæquatè, & specificè, omnia contineat, quæ credenda sunt? Novatoribus affirmativam; Nostris negativam amplexis: quam controversiam Solidè & ex professo, ut alias passim pertractat *Magnificus D. D. Haberkornius, Theologus de Eccles. Christi orthodoxâ meritissimus, in solida ac fidei admonit. contra Syncretismum, à p. 139. usq[ue] ad p. 270.* Nimirum, quia *Epicriticus* noster Descensum Christi ad inferos non credit, aut pro articulo fidei veneratur, mavult contra venerandæ Antiquitatis consensum, & ipsius rei in scriptura fundatæ veritatem, additum hoc, *Niedererfahren zu der Hölle* tautologiam vocare inutilem, quæ removeri possit ex Symbolo, (ut quidem *Drejerus* ex Symbolo removisse videtur) modò absque scandalo fieri possit. Concludimus verbis *Augustini: Quis nisi infidelis negaverit, Christum apud Inferos fuisse?* Et *D. Alardi Vaeck, Commentar in Symb. Apost. pag 155. Probè expendant istiusmodi interpretes, quid futurum tandem sit, si ita pro lubitu liceat articulos contrahere, & contrahendo unum aut alterum expungere! quare Christus & sepultus est, & descendit ad inferos, qui sunt numero duo articuli. Tantum.*